

„ Si corripis, corripe cum charitate.  
 „ Si parcis, parce cum charitate. Sed  
 „ in his adhibenda est summa diligencia,  
 „ & mundandus oculus cordis;  
 „ quatenus in puniendo, vel parcendo,  
 „ sanandis morbis charitas sincera sub-  
 „ veniat: & nemo ibi vanalium me-  
 „ dicorum more, quod suum est qua-  
 „ rat, & propheticam illam reprehen-  
 „ sionem incurrat: mortificabant ani-  
 „ mas, quae non moriebantur, & vi-  
 „ vificabant animas, quae non vivebant „.  
 Ezech. cap. 13. ver. 19.

Et secun-  
 dum hanc  
 nunc durius  
 nunc levius  
 procedere.

Hac fundamentali regulâ praemissâ,  
 exemplo medici corporalis, qui sibi  
 contrarius non censetur; dum pro di-  
 versa qualitate morbi & aegri nunc  
 mordentia, nunc mollientia applicat  
 medicamenta, ostendit, spirituales  
 medicos, Doctores videlicet sanctae  
 Ecclesiae nec a se, nec inter se dis-  
 sentire, cum illicita prohibent, ne-  
 cessaria jubent, summa suadent, venia-  
 lia indulgent: „ Cum secundum duri-  
 „ tiam cordis delinquentium pro corre-  
 „ ctione eorum, vel cautela cetero-  
 „ rum, severas poenitentiae leges impo-  
 „ nunt: vel secundum devotionem do-  
 „ lentium, & resurgere volentium,  
 „ consideratâ fragilitate vas, quod por-  
 „ tant, indulgentiae malagma superpo-  
 „ nunt. Nam qui indulgent, majori-  
 „ bus morbis amovendis provident: &  
 „ qui illicita prohibent, a morte de-  
 „ terrent: qui vero necessaria jubent,  
 „ salutem cupiunt conservare: qui au-  
 „ tem summa suadent, salutem student  
 „ augere „.

Deinde ex-  
 ponit, circa  
 quae cadat  
 dispensatio.

Post hac explicat, quomodo quaedam  
 sint absolute ad salutem necessaria;  
 quaedam absolute vetita; alia vero con-  
 siliî & perfectionis, sine quorum ob-  
 servantia salus aeterna etiam acquiri po-  
 test, quae ab hominibus ad salutem tu-  
 tius muniendam, aut facilius consequen-  
 dam instituta sunt.

His ita breviter praeiatis conclu-  
 dit: „ Praeceptiones itaque & prohibi-  
 „ tiones, aliae sunt mobiles, aliae im-  
 „ mobiles. Praeceptiones immobiles  
 „ sunt, quas lex aeterna sanxit: quae  
 „ observata salutem conferunt: non

„ observata eandem auferunt. Qualia  
 „ sunt: *Diliges Dominum Deum tuum*  
 „ *ex toto corde tuo, & Proximum tuum*  
 „ *sicut teipsum: & honora Patrem*  
 „ *tuum & Matrem tuam.* Et si qua  
 „ sunt his similia „.

„ Mobiles vero sunt, quas lex aeter-  
 „ na non sanxit, sed posteriorum dili-  
 „ gentia, ratione utilitatis invenit:  
 „ non ad salutem principaliter obti-  
 „ nendam, sed ad eam tutius munien-  
 „ dam. Quale est illud Apostoli ad  
 „ Tit. cap. 3. ver. 10. *haereticum homi-*  
 „ *nem post primam & secundam cor-*  
 „ *reptionem devota.* Non quod eorum  
 „ colloquium per se saluti obsetet: sed  
 „ quod frequentatum ex obloquio quo-  
 „ rumdam simplicitatem corrumpere  
 „ possit. Et multa reperies in Cano-  
 „ nicis institutionibus in hunc modum „.

„ Post hac binas, easque utilissimas re-  
 „ gulas in materia dispensationis subne-  
 „ dit: „ In his igitur, in quibus obser-  
 „ vatis salus acquiritur: vel in quibus  
 „ neglectis mors indubitata consequi-  
 „ tur, nulla est admittenda dispensa-  
 „ tio: sed ita sunt omnia mandata  
 „ vel interdicta servanda, sicut sunt  
 „ aeternâ lege sancita. In his vero quae  
 „ propter rigorem disciplinae, vel mu-  
 „ niendam salutem, posteriorum san-  
 „ xit diligentia, si honesta vel utilis  
 „ sequatur compensatio, potest praece-  
 „ dere auctoritate praesidentium dili-  
 „ genter deliberata dispensatio „.

Haec sanctissimae regulae, si jampridem  
 observata fuissent, & etiamnum  
 hodie servarentur; nec Canonum  
 ficeret relaxatio; nisi *honestâ vel utilis*  
 sequatur *compensatio*, hoc est, nisi ea  
 ex relaxatione utilitas sequeretur, quae  
 malum, quod relaxatio secum trahit,  
 compensaret; quomodo non videremus  
 Ecclesiae disciplinam in multis vigere,  
 quam effrenis Praelatorum relaxatio pau-  
 latim evacuat, & tandem obliterabit?

Et quae in  
 dispensatio-  
 ne regulae  
 servanda?